sias, IIII ad personas direxerit. Vnde quorūdā insania repercutitur, dicentium Epistolam, quæ ad Hebræos scribitur, non fuisse Pauli, sed Barnabæ, vel Clemētis, vel Tertulliani, vel Lucæ. quos in hanc errorem occasio deduxit huiusmodi, quia nec salutatio eius nomine intitulata præscribitur, & longe facundiore & splendidiore stylo quā cæteræ edita est. Quibus sufficienter respondetur hoc modo, Quia si ideo non est dicenda Pauli, quia nomen eius in titulo non habet: ergo nec Barnabæ, nec alicuius prę dictorum, cum nullius eorum nomine scripta sit. Nec ob id quoque Pauli non esse putanda est, quia diligentius est scripta: Cū naturale sit vnicuique pl9 valere in sua lingua quam in peregrina. Illam enim hebraice, cæteras vero græce scripsit. Nomen vero suum ideo præmittere noluit, quia Hebræis odiosus erat, eum legis destructorē arbitrantibus. Quocirca de legis atque ceremoniarū abolitione tractaturus, recte nomen suū tacuit: ne præscripti nominis inuidia, vtilitatem sequentis excluderet lectionis. Est itaque & illa Epistola Pauli sicut & aliæ. DE ORDINE quoque Epistolarum quæri solet, Quare non ordine sint dispositę, quo ab Apostolo editæ, quod cō stat non esse cum Epistola, quę Romanos scribitur, prima ponatur, quę tamen nō est ante alias omnes scripta. Epistolam enim quę ad Corinthios scribitur, ante istā scripsisse videtur, quia hanc de Corintho scripsisse euidenter monstratur. ex eo quod dixit, Commēdo vobis Phœbē sororē nostrā, ministrā ecclesię quę ē Cenchris. Cēchris enim dicitur locus Corintho vicinus, imo portus ipsius Corinthi. Ex hoc ergo appareret de Corintho scripta, & ex eo quod dicit, Salutat vos Caius hospes: de quo scribens Corinthiis commemorat dicens, Gratias ago deo meo, quod neminem vestrum baptizauī nisi Crispum & Caium. Hęc ergo epistola ad intelligendum cæteris difficilior, in qua Apostolus videtur perfectior, primatū obtinuit in corpore Epistolarum: non quod ab Apostolo prima sit scripta, sed causa dignitatis Romanorum, qui tunc tēporis vniuersis gentibus imperabant. Interpretantur autem Romani sublimes siue tonātes: quia illo tempre, quo Apostolus hanc epistolam eis misit, cūctis gētibus dominabantur: ideoque sublimiores erant omnibus populis, & intonabant præcepta publica & priuata: eorumque fama omnium hominum resonabat in ore. Aimo autē ab Athenis Apostolū scripsisse Romanis dicit, his verbis, Ab Athenis ciuitate Græcorū scripsit Apostol9 Romāis hac epistolā, ꝙ nō ipse, nō Petrus nō aliquis XII Apostolorū primū instruxit, sed quidā Iudæorum credētium qui fide Christi ab Apostolis perceepta, venientes Romam, vbi princeps orbis residebat, cui erant ipsi subiecti, quæ apud Hierosolymam didicerant, Romanis euangelisauerunt, Attende diligenter, quod Aimo dicit Apostolū ab Athenis scripsisse: Origines vero de Corintho. Itē inspice quod idem Aimo ait, Petrum Romanis primum prędicasse: cum ecclesiastica historia sic cōtineat, Claudii temporibus clementia diuinę prouidentiæ Petrum ad vrbem Romam misit. Ille aduenies primus in vrbe Roma Euangelii sui clauibus ianuam regni cælestis aperuit. Hieronymus quoque super epistolam ad Romanos, vbi scriptum est, Vt aliquid impartiar vobis gratię spiritualis: sic ait, Romanos Petri prędicatione fidem tenentes confirmare se velle Paulus dicit: non quod minus accepissent a Petro, sed vt duobus Apostolis attestantibus atque doctoribus, eorum corroboraretur fides. Harum itaque authoritatum conflictum qui videtur, dirimentes, dicimus, Petrū primum prædicasse Romanis, quantum ad alios Apostolos: sed non primum quantum ad omnes credentes. Itē dicimus, Athenis Paulū Epistolę partē scripsisse Corinthi vero perfeciisse, atque inde eā Romanis destinasse. Vel potius igitur prima ponitur, quia primum gradum erroris destruit, scilicet superbiam, omnium malorum radicem: sicut scriptum est, Initium omnis peccati superbia est, quæ natione cęlestis sublimium mentes inhabitat, sub cinere & cilitio latitant. Quæ Romanos adeo occupauerat, vt inter se altercantes, & se sibi inuicem præferentes dissentiones & schismata facerent Erant enim Romani de Iudæis & Gētib9 ad Christū conuersi. Iudæi autē propter sāctos patres, a quibus originem ducebant: & propter legē quā soli inter cęteras gentes acceperant, Gentiles credentes dispiciebant: dicentes, Propter obseruantiam legis cui seruierant meruisse accipere gratiam Christi, & fidem Euangelii: & propter merita